

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols:

7
10
10
10
2.
3.
4.
10
10



1696.

1. Caelenius, Eduardus Franz: De crimine em-
tationis in specie circa officiales in subditos
2. Imp. 1708 - 1723

2. Zollius, Hermannus: Disputatio inang. jur. ad Ue-
mentiam saepe contingit. De verborum significa-
tione & declinationem processus summarii exhibens.

1697.

1. Kestner, Henricus Emerichus: Miscela juris selectiora.

1698

1. Kestner, Hen. Em.: De principio jurisprudentiae

Romanae - Germanicae.

2. Kestner, Hen. Em.: De jure matrimonii

3. Kestner, Hen. Em.: De legibus et statuta hominum.

4. Ludewigius, Conradus: De jure retentionis

1699.

1. Bieriwin, Fridericus Wilhelmus: De familia Comitum
Holsat. Schaumburgensium hunc seculo extincta.

1699.

2. Kestner, Hen. Ern: *De statu jurisprudentiae necessariae
que juris naturalis et civilis conjunctione.*

3. Kestner, Hen. Ern: *De jure reformandi in sacris*

4. Heins, Mathias: *Dissertationis juris civilis,
Canonici et moderati*

8 Gallias, Hermannus: *Decas selectarum conclusionum
juris.*

1700.

1. Kestner, Hen. Ern: *Mixtura perhibita ex jure
feudali centonarii.*

2. Kestner, Hen. Ern: *Trus principis circa sacra*

3. Kestner, Hen. Ern: *De praesentia principis*

4^a Kestner, Hen. Ern: *De jure tabaci.* 2 Bunt. 1700
- 1712.

4^c Kestner, Hermannus Ern. *Vom Rechte des Tabacs
und dem Lebensnoten.* 1713.

1700

5. Kertnerus, Henricus: De jure peregrinantium

6. Ludovigius, Conradus: Si datus causa a te

7. Zollner, Hermannus: De speciali jure principum
imperii in civitates mistas

1701.

1. Kertner, Henricus: De successione Hispanica
et jure gentium.

2. Zollner, Hermannus: De transitione innoxio.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]











9430.

9.

Disputatio Inauguralis Juridica

3

AD
CLEMENTINAM SÆPE CONTINGIT.

M

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE
DELINEATIONEM

1696, 2.

**PROCESSUS
SUMMARII
EXHIBENS,**

5

QUAM
EX DECRETO MAGNIFICÆ FACULTATIS JURI-
DICÆ IN ILLUSTRIS ACADEMIA ERNESTINA

PRÆSIDE

DN. HERMANNO ZOLLIO,

Jcto & Antecessore Primario Celeberrimo,

Pro

CONSEQUENDIS in utroque JURE SUMMIS HONO-
RIBUS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS

Publicè Eruditorum disquisitioni submittit

GERHARDUS FRIDERICUS Pfeil

Petrihaga-Mindensis.

Horis locisque solitis *Ad Diem 6. Martii 1696.*

5.



RINTHELI,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, *Academ. Typogr.* MDCXCVI.

LEV HALLER

5.



Illustri & Generosissimo Domino,

DOMINO

WILHELMO

HENRICO

Libero Baroni

à DANKELMAN,

Serenissimi & Potentissimi Electo-
ris Brandenburgici Status Consiliario in-
timo & Principatus Mindensis Summo
Præsidi & Cancellario eminentis-

simo &c. &c.

Domino Mæcenati & Patrono suo

*Ad cineres usque venerando hanc
Disputationem Inauguralem ea
qua par est reverentia & sub-
missione dat dicat dedicat*

GERHARDUS FRIDERICUS Pfeil.



Jehova Fuva!

TH. I.



Processum summarium secundum ductum famosissimæ Constitutionis Clementis V. Pontificis Romani (quæ habetur in ejus Constitutionū libro quinto Titulo ultimo qui est de Verborum significatione Cap. ult. & à verbis suis initialibus *Sæpe contingit*:

Clementina *Sæpe* vocari & allegari solet ab interpretibus) pro ingenii modulo breviter delineaturus operæ præmium esse arbitror, in ipso limite statim exponere quid sit processus, unde dicatur, & quotuplex sit. *Est autem processus nihil aliud quam modus & ordo legitimus, tractandi causas controversas in judicio, à judice & partibus vitandæ confusionis gratia observandus; arg. C. I. de sent. & Rejud. in 6. Struv. synt. jur. Civ. Ex. 9. th. 66. Carpz. Process. tit. I. in princ.* Dicitur à procedendo quia in causa in judicium deducta & controversa ab uno actu judiciali ad alium eousque partes & judex procedunt & procedere debent, donec liqueat & certum fiat judici, cujus partis intentio magis vera, & in jure fundata & consequenter quænam sententia ferenda sit.

A 2

TH. II.



5





TH. II.

Diximus autem processum esse modum & ordinem tractandi causas in iudicio controversas, quo ipso eum distinguimus à iudicio ipso, iudicium enim cuius alias variæ significationes à Doctoribus afferri solent, (sic enim *Robert. Maranta in spec. Advoc. p. 1. ejusdem 13. Lexicographi 15. & Rittersbus. ad Nov. p. 9. C. 3. 23.* significationes hujus vocis recensent,) in sensu juridico prout in *tit. ff. & Cod. de jud.* sumitur, est ipsa tractatio seu disceptatio causæ controversæ coram iudice, *Struv. d. Exerc. 9. th. 1. Umm. process. jur. Disp. 1. th. 1. n. 3. ibique Dd. allegati Carpzov. process. jur. supra cit. loc.* & ratione causæ efficientis dividi solet in seculare seu civile, & Ecclesiasticum, quoad materiam in spirituale, temporale, & temporale spirituali annexum, Universale, generale & particulare, incidens & emergens, Ratione finis in Civile, Criminale, & mixtum, Et civile iterum in personale, Reale, & Mixtum, & utrumque iterum in petitorium & possessorium, item conventionale & reconventionale, Criminale iterum in Capitale & non capitale, *vid. Umm. d. loc. & th. 2. Hiltrop. process. jur. part. 1. tit. 4.* Processus autem est forma seu potius modus & ordo istius tractationis & disceptationis. *Struv. d. Exerc. 6. th. 66. Brunnem. in process. Civ. C. n. 1. Carpzov. d. loc.* Et ratione hujusmodi iudicium distinguitur in Ordinarium & solenne, & Extraordinarium seu minus solenne vel summarium, unde liquet, iudicium & processum inter se tanquam actum ipsum & modum agendi differre. Nihilominus tamen plerumque pro-



processus cum iudicio confundi solet. Ex quo quidem parum nocenti metuendum, sed majus subest periculum, si non exacte inter varias iudicii sive processus species distinguatur, sed una cum altera confundatur, uti monet *Carpzov. d. loc.*

TH. III.

Processus Ordinarius est in quo secundum omnes solennitates, legibus positivis & moribus iudiciorum receptas proceditur, Summarius autem vel extraordinarius est in quo talis modus posthabetur. *Carpzov. proc. jur. art. 1. n. 4. & 12. ibique Dd. allegati.* Sciendum autem quod jure Civili antiquo iudicium seu processus ordinarius erat, quo Magistratus ipse in causa dubia non iudicabat, sed alium iudicem dabat, *l. 4. ff. de Off. procons. l. 13. & seqq. ff. de Jurisd.* Quando autem Magistratus e.g. Prætor vel Præses provinciæ vel ob necessitatem causæ celerem expeditionem desiderantis, (quales sunt causæ possessionis, vel ob favorem negotii aut personæ contra jus amissum vel de mercedibus, salariis & honorariis Præceptorum, Professorum, Medicorum, & Advocatorum,) ipse cognoscebat, Extraordinaria cognitio vocabatur. *t. t. ff. de extraord. cognit. Struv. Exerc. 8. th. 1. Exerc. 9. th. 1. Exerc. 45. th. 5.* quo sensu hodie postquam formulæ & impetrationes solennes sublatae *t. t. Cod. de form. & impetr. sublat.* & mores dandi iudices abolito, Magistratus ipsimet iudicare tenentur, *l. 2. Cod. de pedan. judic.* Omnia iudicia hodie extraordinaria sunt, *§. ult. Inst. de interd. Anton. Faber. lib. 4. conject. C. 7. Orbrecht. de form. lib. C. 8. n. 19. Zoes. ad tit. ff. de jud. n. 7.*

TH. IV.



TH. IV.

Hodie igitur postquam ille processus jam tempore Imp. Diocletiani & Maximiani antiquatus est, alio sensu processus ordinarius & extraordinarius dicitur. Scilicet ordinarius est in quo supplicatio pro impetranda citatione, solennis citatio, libellus & litis contestatio requiritur, & reo laxa facultas omnis generis exceptiones tum dilatorias tum peremptorias opponendi & dilationes impetrandi, intentionem suam probandi, & super quæstionibus juris & facti incidentibus prolixè disputandi licentia est concessa, & iudex ad certas solennitates passim cumprimis etiam in publicatione sententiæ observandas est adstrictus. Unde etiam plenarius vocari solet. Extraordinarius autem in quo istiusmodi solennitates & ambages non attenduntur *C. II. X. de prob. Carpzov. d. art. 1. n. 5. & 12. Zanger. de Except. p. 1. C. 2. Maranta part. 4. dist. 9. Emmeric. à Rosbach. proc. jur. tit. 1. n. 28, 29.*

TH. V.

Quicumque igitur processus ab ordinario modo procedendi recedit, eatenus quatenus recedit Extraordinarius est, ideoque inde rectè inferitur, quod processus Mandatorum sine Clausula, *in Ord. Cam. p. 1. tit. 23.* fundatus & receptus, quoniam in illo formalis libellus non requiritur, ut ut in reliquis opposita exceptione sub & obreptionis simili modo & prolixitate ut ordinarius tractetur sit extraordinarius. *Petr. Frider. Mindan. de proc. in Cam. Imp. extrab. l. 2. C. 9. n. 10. add. Gail. 1. obs. 13. & seqq. Hiltrop. proc. jur. p. 2. t. 4.*



t. 4. n. 36. 37. & 38. ubi processum illum breviter delineat. Eadem etiam est ratio processus mandatorum cum clausula, quoniam in eo etiam ab ordinario in hoc receditur, quod in hoc processu reus omnes suas exceptiones tam peremptorias quam dilatorias simul in uno eodemque termino proponere teneatur. *Consultum Camerae de anno 1600. ad quintum dubium. Hiltrop. d. p. 2. tit. 3. n. 12.* Nequaquam tamen processus mandatorum vel cum vel sine clausula summarie tractatur, ideoque ad summarium processum referri nequit, unde palam fit, inter extraordinarium & summarium processum adhuc esse differentiam, ita ut omnis quidem processus summarius etiam extraordinarius non autem omnis extraordinarius etiam summarius sit *add. Speculator. l. 1. p. 1. tit. de off. omn. jud. §. 8. n. 9. & 13. ubi tamen hanc differentiam in modo vel plene vel minus plene probandi ponit.*

Th. VI.

Quid igitur summarius processus? Est processus extraordinarius quo omnibus solennitatibus legibus ac moribus receptis posthabitis & admissis tantum iis, quæ recta ratio ad indagacionem veritatis facti dubii requirit, proceditur. *Carpzov. d. l. n. 13. Brun. in proc. C. 1. n. 16.* Unde apparet nomine processus summarii nos non intelligere præposterum confusum & præcipitantem aliquem processum, sed talem, in quo omnia quæ ad substantiam iudicii jus naturæ & gentium requirit, observantur, rejectis tantum inutilibus & supervacuis solennitatibus & aliis ambagibus, quæ nulli usui sunt, nisi quod morosis reis uberiorem



riorem disputandi ansam & protelandi causam præbeant, prout hanc sententiam uberius exponit & declarat. *Carpzov. d. l. n. 22. & seqq.* Quæ autem substantialia sint quæ jus Naturæ & Gentium requirit, de iis juxta ductum Clementinæ nostræ *Sæpe contingit, ordine differemus.*

TH. VII.

Ubi merito illud præmittendum erit, quod omnes causæ in dubio & regulariter sint ordinariæ, ideoque invito reo Actor causam ordinariam summario processu tractare nequeat, *Gloss. in l. 3. §. ibidem 11. ff. ad exhib. Carpzov. Jurisprud. for. p. 1. const. 2. def. 18. Brunnem. in proc. C. I. n. 17.* Sed quid si judex consentiat, ipsique æquum videatur, ut causa alioquin ordinaria, summarie tractetur? *Carpzov. in proc. art. 1. n. 62. & sequentibus* id judici licere existimat, sed nos quidem in supremo judice hoc facile concedimus inferiori autem illud non licere arbitramur, nisi superior ratum id habeat. Scilicet quia modum procedendi in judiciis subditis præscribere pars est legislatoris potestatis, quæ in judicem, qui legum tantum minister est, non cadit *pr. Instit. de off. jud. ibique Dd.*

TH. VIII.

Igitur ut summarie liceat tractare causam vel jus commune, aut consuetudo vel specialis constitutio aut Rescriptum ejus, qui in Reipublica Majestatem habet requiritur. De jure communi certæ enumerantur causæ ob singularem personæ aut causæ favorem, odium aut necessitatem aut moræ periculum, vel



vel quod nullius aut modici præjudicii sint, summariter tractandæ, quarum novendecim refert *Vultej. Jurispr. Rom. lib. 2. C. ult. Rittersb.* autem in commentario suo *ad Nov. p. 9. C. 3. n. 17.* earum 31. & ultra recenset, quarum 1. omnes causæ ecclesiasticæ 2. causæ possessionis, 3. Mercatorum, 4. Usurarum si coram Ecclesiastico iudice agatur, 5. Alimentorum 6. si contra confessum agatur, 7. contra religiosos causæ, 8. si monachus a suo Abbate vindicetur, 9. Causæ matrimoniales, 10. Restituendæ dotis, 11. Decimarum, 12. Rejudicatæ, 13. si contra absentem agatur 14. causa tertii intervenientis, 15. si ad exhibendum agatur, 16. si agatur contra debitores tributorum, 17. contra Gabellarios, 18. Missio ex primo decreto, 19. si legatarius nomine legati ab hærede cautionem exigat, 20. si instituto iudicio de testamento queratur an præponi debeat actioni præjudiciali, 21. Examen testium ad perpetuam rei memoriam, 22. Causa Naufragorum, 23. Breves & exiguæ summæ, 24. pauperum & miserabilium personarum, 25. Salariorum & mercedum laborum, 26. secundæ dilationis obtinendæ, 27. delictorum, 28. si agatur de crimine læsæ Majestatis ex constitutione Henrici VII. (a quo tamen *jus Civ. & cum eo Rittersbus. d. loc. recedit.*) 29. Constitutio tuorum & Curatorum, & causa adoptionis emancipationis manumissionis vel bonorum possessionis agnoscendæ, 30. Damni infecti, 31. Causæ nullius aut exigui præjudicii, scilicet relaxationis juramenti ad effectum agendi, Exonerationis, Mandati, Liquidationis, Restitutionis in integrum ob lapsum fatalium appellationis,

X. AT

B

tionis,

5.





tionis, &c. add. *Maranta distinct.* 9. *Gail.* I. *obs.* 23. 46. 68. 78. 143. *Zanger.* *de Except.* p. I. C. I. n. 60. qui 39. & *ultra causas summarias ibidem recenset,* *Carpzov.* *supracit.* loc. n. 48. & *seqq.* *Brunnem.* d. loc. n. 16.

TH. IX.

In Camera vero Imperiali hæ causæ extraordinariæ fere numerantur, 1. Exceptio fori declinatoria, 2. de solennibus appellationis neglectis, 3. Actorum editio, 4. Attentata, 5. Causæ inter morum iudicii perituræ, 6. Causæ ex quibus magnum & irreparabile damnum imminet, 7. Exceptiones contra dicta testimonium ante publicationem, 8. de secunda vel tertia dilatione concedenda, 9. Causæ liquidationis quæ pertinent ad declarationem sententiæ, 10. Causæ Mandatorum pœnalia, 11. Causæ fractæ pacis, 12. spolii, 13. taxatio impensarum litis, 14. Alimentorum, 15. Causæ possessionis, 16. Processus ex lege diffamari, 17. Relaxatio iuramenti ad effectum agendi, 18. querela nullitatis prioris sententiæ, 19. Petitio & datio tuorum vel Curatorum, 20. sequæstiationis, 21. decreti, 22. infinnationes testamentorum & donationum, 23. Confirmatio dotium, 24. Petitio renovationis instrumenti privilegiorum, 25. missio in possessionem ex primo decreto, 26. Missio ex *l. ult. Cod. de Edict. D. Hrdr. toll.* 26. Missio ex decreto de ventre in possessionem mittendo, 28. Causæ nov. operis nunc, 29. Damni infecti, & appellatio ex his causis ad cameram facta, 30. Relevatio a tributis ob diminutionem bonorum *Ord. Cam. p. 3. tit. 3. Nicolaus Cisnerus lib. 3. de jud. Cam. Rittersbus. d. C. 3. n. 19.*

TH. X.



TH. X. Peculiari quoque & summario procedendi modo nititur jure saxonico introductus & ubique fere receptus processus Arresti, de quo *Carpz. proc. jur. tit. 21. Coler. de proc. execut. p. C. 2.* Et processus quo Executio decerni solet ad exhibitionem instrumenti guarentigati, in quo quidem hoc maxime peculiare est, quod Reus cum suis exceptionibus contra ejusmodi instrumenta non audiatur nisi liquida sint & in continenti probari possint, *Carpzov. d. proc. tit. 22.* Item Processus Summarius seu summariissimus juri quidem incognitus, a practicis autem inventus, & ubique in judiciis receptus, quo duo de possessione contendunt, ac uni litigatorum ad interim tantum & donec alter in ordinario possessorio vel petitorio intentionem suam melius probaverit, adjudicatur. De qua agit *Ord. Cam. p. 2. tit. 21. Menoch de retin. poss. remed. ult. Carpz. proc. jur. tit. 23. Hiltropt. proc. jur. p. 1. tit. 2 n. 28. & seqq.* Est & aliud genus processus summarii ubique fere locorum receptum & in Hassiacis præprimis judiciis præscriptum, scilicet die *Gütliche oder Mündliche Verhör* / quo omnes causæ civiles & pecuniariæ in uno ad id præfixo termino meritis causæ a partibus eorumque advocatis hinc inde ad protocollum dictatis, si liquida sunt deciduntur, aut si altioris indaginis esse videntur, & transactioni locus non est, ad ordinarium processum: *Zur Ausführung*: remittuntur.

TH. XI.

Denique etiam causa alioquin ordinaria ex rescripto principis peculiari summarie est tractanda,

B. 2

de

L. V. HALLER

5



de quo casu nostra Clementina agit, pro cuius meliori illustratione, ejusdem verba subicere libet quorum hic est tenor.

Clemens V.

SAepe contingit quod causas committimus & in earum aliquibus simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii procedi mandamus: de quorum significacione verborum a multis contenditur & qualiter procedi debeat dubitatur. Nos autem dubitationem huiusmodi quantum nobis est possibile decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litem contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indulgarum a iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam litem quantum poterit faciat brevior, exceptiones appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, partium advocatorum & procuratorum contentiones & iurgia testiumque superfluum multitudinem refranando; Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes & defensiones legitime admittantur. Citationem vero ac prestationem iuramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Verum quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte agentis & etiam rei, siquid petere voluerint, est in ipso litem exordio petitio facienda, sive scriptis sive verbo actis tamen continuo, (ut super quibus positiones & articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, & ut fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litem propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem usus longævus in causis admisit. Nos usum huiusmodi observari volentes, statuimus ut iudex sic deputatus à nobis, (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque terminum dare possit, & ad exhibendum omnia acta & munimenta, quibus partes



partes uti volunt in causa post dationem articuloꝝ ad diem certam, quancunqꝫ sibi videbitur, valeat assignare, eo salvo quod ubi remissionem fieri contingeret, pro testibus producendis possint etiam instrumenta produci, assignatione hujusmodi non obstante, interrogabit etiam partes sive ad earum instantiam sive ex officio ubicunqꝫ equitas hoc suadebit. Sententiam vero definitivam (citatis ad id licet non peremptorie partibus) in scriptis (& prout magis sibi placuerit) stans vel sedens proferat etiam (si ei videbitur) conclusione non facta prout ex petitione & probatione, & aliis actitatis in causa fuerit faciendum, qua omnia etiam in aliis casibus, quibus per Constitutionem nostram, vel alias procedi potest de simplici & plano, ac sine strepitu & figura iudicii volumus observari. Si tamen in praemissis casibus solennis ordo iudiciarius in toto vel in parte non contradicentibus partibus observetur, non erit processus propter hoc irritus nec etiam irritandus. Data Avinion. XIII. Cal. Decembr. Pontificatus nostri Anno 2.

TH. XII.

Autor hujus Constitutionis, uti ejusdem inscriptio indicat, est Clemens ejus nominis Quintus Pontifex Romanus qui anno Christi 1305. ad pontificatus fastigium euectus hanc constitutionem Avinion 13. Cal. Decembr. anni Pontificatus sui secundo, & consequenter anno Christi 1306. promulgavit, prout ex ejusdem dato in fine apparet. Nec minus ex ea etiam occasio ejus liquet, scilicet quia saepe contingit, ut causas committat, & in earum aliquibus simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii procedi mandet, eaque occasione de significatione istorum verborum & qualiter procedi debeat à deligatis iudicibus vel commissariis ejus, tunc temporis contendebatur & dubitabatur nec quidem temere, siquidem verba illa commissionis: *simpliciter & de plano,*
item



item *sine strepitu & figura iudicii*: non tantum metaphorica sunt sed etiam nimis generalia & indeterminata, ut exinde merito dubitare debuerint ac potuerint Delegati iudices, qualiter procedere & quid circa processum a partibus admittere aut rejicere debuerint. Quemadmodum itaque unusquisque verborum suorum optimus est interpret, & de jure consulentibus Magistratibus respondere eorumque dubitationes (præsertim quæ æqualem justitiæ administrationem adeoque publicam utilitatem concernunt) remove boni principis est. Ita etiam hac in parte Pontifex noster suo officio probe fungitur, dum verba illa ambigua interpretari & hanc dubitationem quantum ipsi possibile per præsentem constitutionem decidere intendit, & non tantum in genere naturam illorum verborum indicat, scilicet quod his verbis iudici laxa potestas data sit litem in quantum citra partium & præsertim citra Rei injuriam possibile est abbreviandi: Sed etiam in specie plerisque actus potiores, qui in processu tali summario admitti vel rejici possint & debeant, exprimit, de quibus & quomodo hoc ex intentione Pontificis & Natura negotii intelligendum sit breviter disquiremus.

TH. XIII.

Sciendum autem est quod processus ordinarius ubique fere locorum in Germania receptus, partim ex jure Civili partim ex jure Canonico & universalibus iudiciorum moribus conflatus sit, & multis ambagibus solennitatibus & formulis ubique scateat, in specie autem notum est omnium primo, ab Autore iudicium



dicium suscepturo requiri, ut judicem adeat & mediante peculiari & solenni supplicatione (*cujus formulam & quidem in Camera Imperiali usitatam vid. apud, Petr. Danais de jur. Camer. tit. 292. Petr. Frider. Mindan. de proc. in Cam. Extrab. lib. 1. 6. Schvvanmann. i. proc. Cam. i. n. 12.*) judicem pro decernendis processibus & ut adversarius in jus vocetur imploret. *Umm. process. jud. Disp. 5. th. 1. 2. & 3. Brunneman. proc. Civ. C. 2. Mindan. d. loc. C. 2.* Sicubi eam ex *Hermanno Vultejo lib. 2. Jurispr. Rom. C. 27.* definit libellum supplicem, quo prævia summaria recensitione controversiæ judicem prodecernendis processibus imploramus. Et quid a processu inspecie ita dicto differat exponit. Quo facto judex qui regulariter petito actoris deferre tenetur solennem citationem cujus form. vid. *apud Emmeric. a Rosbach. in process. tit. 25. n. 15. & seqq.* concipit, Reumque ad certum diem in judicium vocat & citat, *i. t. ff. & Cod. de in jus vocand.* quo comparente & judici & Reo solennis libellus offertur, huicque spatium 20. dierum ad deliberandum conceditur utrum cedere an contendere velit. *Novell. 53. C. 3. & hinc desumpta Authent. offeratur. Cod. d. lit. contest. c. 1. X. de lib. oblat. Umm. d. Tract. disp. 5. th. 4. & seqq. & Disput. 6. th. 8. & seqq. Marant. de ord. jud. p. 6. rubr. de libell. obl. n. 1. Brunneman. C. 2. 3. & 5.*

TH. XIV.

Jam quæritur an ejusmodi solennitates in processu summario, seu tali quo sine strepitu & figura judicii procedendum est, obtineant, actorque & judex

ea

LEVI HALL



ea omnia ita observare teneantur? Negatur quid enim opus duplici facti narratione aut petito, cum id una vice in summario libello fieri possit? hoc modo, Ich bitte Beklagten hierüber zuvernehmen und gleichwie er solches nicht wird leugnen können / oder allenfalls ihn solches nothdürfftig überführen will: also bitte ich ihn dahin zu condemniren. Quid opus solenni citatione? Cum Summarius libellus reo statim communicari possit, ut ipse intra certum terminum vel oretenus vel in scriptis proponat quid adversus narrata & petita actori exciperi velit ac possit, hæc usitata formula, dieses wird Beklagten zu dem Ende communiciret / um seine Nothdurfft binnen 14 Tagen darauf einzubringen.

TH. XV.

Nominatim autem secundum ductum nostræ Clementinæ quæritur An in causis summariis iudex exigere possit libellum? Prohibet id pontifex & recte; siquidem forma libelli quatenus secundum jus Comune & processum ordinarium a Doctoribus proponitur. Scilicet, ut post exordium primo medium concludendi ponatur, post ipsum factum enarretur, & tandem ei apta conclusio subjungatur, & his partibus libelli certæ formulæ vel clausulæ e. g. de reservandis omnibus juribus ac privilegiis actori competentibus, & qua rem cum suis pertinentiis & accessoriis reumque iudicis sententia condemnari, & legitimis remediis compelli, item omni meliori modo sibi jus & justitiam administrari petit, & qua nobile iudicis officium implorat, sibiq; salvum jus libelli corrigendi minu-



minuendi addendi reservat, & quæ similia a partibus
afferri solent, de quibus vid. *Orbrecht. in Tract. suo*
de conc. & form. lib. C. 1. Oldend. de form. lib. p. m.
287. & seqq. Kling. ad C. 1. X. de lib. oblat. n. 3. Umm.
disp. 5. §. 8. II. & 12. Hiltrop. proc. jur. p. 2. tit. 9. & in-
ferantur, inutilibus solennitatibus nituntur, ideoque
in iis causis ubi secundum simplicitatem juris genti-
um, & inspecta solum facti veritate proceditur me-
rito non attenduntur. Sed sufficit si actor brevem
& succinctam narrationem exhibet, eique aptam &
concludentem petitionem sive in scriptis sive orete-
nus subjungat, ut Reus scire possit quid quale, quan-
tumque & a quo, & quo jure, petatur. Et utrum
cedere an contendere expediat, & judex intelligat in
quid actor reum condemnari velit, siquidem senten-
tia conformis debet esse libello vel petitioni, l. 1. ff.
de R. Jud. l. 28. commun. div. Clem. Sape de V. S. ibique
Francisc. Zarabella vers. non sic tamen n. 3. Zanger. de
Except. l. 1. C. 2. n. 14. Hæc autem petitio verus est
libellus, siquidem ei definitio libelli a Dd. in l. edita
Cod. de Edend. tradi solita: Scilicet quod sit brevis
& ordinata scriptura claram actoris intentionem con-
tinens, convenit. Et de hoc libello recte dicitur
quod pertineat ad substantiam judicii Struv. Exerc. 9.
th. 68. Unde etiam citra nullitatis vitium, ne quidem
in summariis causis omitti potest. Libellus vero so-
lennis de quo supra, tantum obtinet in ordinariis
causis, ideoque merito in summariis causis non atten-
ditur: Laufranc. in C. quoniam n. 2. X. de Prob. Hil-
trop. proc. jur. p. 2. tit. 9. n. 2, ubi notat vocabulum li-
belli

C

belli

LEUVHALLER

5



belli in jure duobus modis accipi, generaliter & specialiter. Dum igitur Pontifex in causis summariis libellum exigere prohibet, non intelligit libellum summarium, seu petitionem simplicem aliquam, sed libellum in stricta significatione acceptum, scilicet libellum prolixum solennem & maxime articulatam.

TH. XVI.

Litis contestationem non postulet: De jure communi post porrectum ab actore libellum Reus intra 20. dies se declarare tenetur, utrum cedere an contendere malit, & si contendendum putet, ita respondere debet ad libellum, ut ex ea responsione in quo status controversiæ consistit, appareat. *l. un. Cod. de lit. Contest. & C. X. eod.* quæ responsio quatenus ea Reus intentioni actoris contradicit, litis contestatio vocari solet, quod vocabulum quidem ab antiquo judiciorum apud Romanos more originem trahit, quippe quo negotio solenniter à litigatoribus exposito coram magistratu, adhibitis testibus, & de hinc dato iudice & iudicio ordinato, à Magistratu utraque pars invicem denunciabat, ut ad iudicem venirent, & ad eos qui propter tribunal assistebant, hæc verba pronuntiabant. *Testes estote &c.* & his verbis actor & Reus litem contestari dicebantur, uti ex Cujacio. *l. 9. obs. 21. Petr. Fab. 1. semest. 21. Renard. de autor. prud. C. 2. refert Arnold. Vinn. select. quest. l. 1. C. 17.* & tunc temporis rei satis accommodatum erat, hodie autem postquam mos ille dandi iudices & iudicii coram testibus accipiendi exoleverit, & ipsi Magistratus iudicant, negotio minus aptum & congruum est, unde

illud

unde



unde etiam tam varie a Dd. definiri & dividi solet, quæ omnia hic excutere nec tempus nec scopus noster permittit. *vid. Brunnemann. in proc. C. 14. Hiltrop. proc. jur. p. 3. tit. 1. Carpzov. process. tit. 10. art. 3. Gail. 1. obs. 73. & seqq. Rosbach. tit. 49. Umm. Disp. 12. & alios.* Hodie tamen pro litis contestatione habetur, si iudex per narrationem negotii principalis diversam & contrariam hinc inde ab Actore & Reo factam statum causæ & in quo partes dissentiant deprehendat, ideoque causam audire incipit, *d. l. un. Cod. de lit. contest. C. un. X. eod. l. 2. Cod. de jurej. propt. Cal. dand. l. 14. l. 1. C. de judic.* si enim Reus intentionem actoris fatetur nulla lis est, ideoque insulsa videtur plerorumque practicorum divisio litis contestationis, in affirmativam & negativam. *Vin. supra cit. loc.* Econtrario si partes sibi invicem contradicunt lis est, & tunc iudex cognoscere potest super quo ipsi judicandum sit, qui finis est litis contestationis. *Orbrecht. de litis contest. C. 10. n. 3. Umm. d. Disp. 12. 18.* Quoniam igitur in omni lite primas Partes sibi vindicat, ut sciamus quis sit controversiæ status, alioqui enim frustra verba miscentur, ut ait *Brunnemann. supra cit. loc. C. 14. n. 3.* hinc basis & fundamentum totius iudicii & adeo necessaria est litis contestatio, ut ea vel partium consensu omissa processus sit nullus, *Myns. Cent. 3. obs. 74. Gail. 1. obs. 75. Hiltrop. d. p. 3. tit. 1. o. 5. Umm. d. Disp. 12. n. 10. Brunnemann. cit. loc.* Sciendum autem est quod litis contestatio alia sit formalis & solennis, qua scilicet partes litigantes solenniter & formaliter in scriptis aut ore tenus animum



mum suum declarant quod litem contestari eamque
 iudicis decisione submittere velint, cujus aliquas for-
 mulas vide apud *Rosbach. tit. 49. n. 35. seqq.* Alia vir-
 tualis & simplex, qua Reus nulla mentione facta de
 litis contestatione, intentioni Actoris quoad merita
 causæ tam perspicue contradicit, ut exinde status
 controversiæ intelligi possit, illam Pontifex in sum-
 mario processu postulare prohibet, si alias ex actis
 prioris instantiæ controversiæ status eminent, in Ca-
 mera Imperiali non attenditur, *Ord. Cam. p. 3. tit. 34.*
Gail. d. Obs. 75. n. 5. hæc autem tolli non potest, sed si
deficiat, processus est nullus. Zanger. d. C. 2. p. 1. n. 22. &
seqq. Maraut. in spec. adv. p. 6. tit. de posit. n. 3.

TH. XVII.

*In tempore etiam feriartim ob necessitates homi-
 num indultarum a jure procedere valeat. Quoniam*
 in processu summario partes iudicii in genere sunt,
 ut litem quanto poterit faciat brevior, *d. Clem.*
sæpe. hinc iudex non attendere debet exceptionem
 feriarum, qua Rei quorum fugere & retardare pro-
 cessum proprium est, moras quærere solent, quæ
 ob necessitatem hominum sunt indultæ, uti sunt fe-
 riæ Messium & vindemiarum *l. 1. ff. de fer. & dilat.*
l. 4. C. eod. Ferias autem divino cultui destinatas si-
 ve sunt ordinariæ ut dies Dominica & festa solennia:
 Vel extraordinariæ, ut celebratio Natalis Principis
 vel anni jubilæi &c. merito attendere debet, cum in
 his præsertim ordinariis nulla humana dispensatio
 valeat: *C. ult. X. de fer. Covarruv. var. Resol. l. 4. C. 19.*
n. 4. Struv. Exercit. 5. §. 35. Zarabella in Clem. Sæpe n. 22.

Pergit

Pergit Pontifex *amputet dilationum materiam*: Recte. Hodie enim illæ dilationes quæ partibus ad agendum jure Civili conceduntur in *Nov. 53. C. 3. & auth. offeratur de litis contest.* *Auth. jubemus Cod. de judic. l. 68. ff. de judic.* parum attenduntur, sed judices fere pro lubitu dilationes ad quoscunque actus expediendos partibus modo prorogationes petentibus, præsertim Reo concedunt, & hoc ipso ansam tergiversandi præbent, unde mirum non est quod Processus adeo protelentur, de quo post *Anton. Fabr. lib. 9. Cod. tit. 22. & Parthen. litigiosum lib. 1. C. 16. n. 9.* conqueritur *Brunnemann. in proc. C. 6. n. 3.* Has dilationes igitur convenit amputare, præsertim in processu summano. Sed Quomodo? Scilicet omnis dilatio ratione causæ, personarum loci & ejusmodi circumstantiarum, debet esse congrua quidem sed peremptoria, nec prorogatio ejus nisi impedimentum saltem probabiliter doceatur concedenda: quod etiam aliquando in ordinationibus Dicasteriorum ita sancitum invenitur. *Add. Umm. proc. jur. disp. 2. Menoch. arbitr. jud. quest. 2. Cas. 52.*

TH. XVIII.

Exceptiones appellationes dilatorias & frustratorias repellendo: Quid annon exceptiones, dilatorias attendendæ sunt in processu summano? Zangerus existimat, non esse attendendas nisi sint tales quæ etiam post litis contestationem in processu ordinario recte opponantur *d. C. 2. n. 18. & 19.* Sed vereor ut hæc opinio subsistat. Sunt enim quædam dilatorias, quæ post litis contestationem prorsus in-

tem-



tempestive opponuntur. e. g. Judicis incompetentis, inhabilis, suspecti, litis pendentia, praeventionis, cautionis &c. an ergo illae repellendae? Non putamus, sed illas tantum dilatorias repellendas esse arbitramur, quas judex frustrandi tantum animo (uti plerumque fit) objectas esse deprehendit, siquidem Pontifex haec duo. *dilatorias & frustratorias* in sua Constitutione *Saepe contingit* conjungit. Si igitur exceptiones dilatoriae frustratoriae non appareant judex eas omnino admittere debet, ita tamen ut Reus simul etiam saltem eventualiter Exceptiones suas peremptorias cum illis proponat siquidem hoc ad abbreviandas lites appime conducit, & non tantum juri communi convenit, *vid. C. 4. X. de Except.* Sed etiam passim in judiciis praesertim Saxonis receptum est. *Wissenbach. ad Pandect. disp. 35. §. 8. ibique allegati Dd. Carpzov. process. jud. tit. 9. artic. 1. n. 56. & seqq. Struv. Exerc. 46. §. 7.* Eadem est ratio appellationis, si enim judex eam mere frustratoriam & frivolam deprehendit ei non magis quam frustratoriis exceptionibus deferre debet. Et quamvis per refutationem appellationis judex a quo efficere non possit quo minus appellatio a judice ad quem recipiatur. *l. un. ibique Dd. ff. nihil innov. appell. interpos.* usum tamen habet refutatio in casu quo superior male appellatum pronunciat quoad remissionem causae *Gail. 1. Obs. 131. n. 4.*

TH. XIX.

Partium Advocatorum & Procuratorum Contentiones & jungia, testiumque superfluum multitudinem refranando. Quae hic Pontifex in processu summa-
rio

rio a iudice exigit, partim superflua, partim a ratione aliena videntur. Nam partim Advocatorum & procuratorum contentionem & iurgia refrænare omni iudici, etsi ordinario modo procedat, convenit, & ejusmodi contentiones & iurgia in quolibet iudicio jure communi prohibita sunt *l. quisquis 6. §. i. C. de postul.* Testium autem multitudinem refrænare periculosum est, cum facile dignosci non possit utrum testes a parte producti & quales sint supervacui.

TH. XX.

Ne autem quis existimet Pontificem per restrictionem processus ordinarii etiam ea capita quæ substantialia processus vocari solent rejicere velle, præcipue mentem suam exponit his verbis: *Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae & defensiones legitime admittantur.* Recte omnino: siquidem probationes necessariae quales sunt omnes probationes, quæ causam ipsam concernunt & ad reum vel absolvendum vel condemmandum tendunt, ad causæ cognitionem necessario, ideoque ad substantiam iudicii in genere pertinent, *arg. l. 6. d. veritas ff. de Off. pres. l. 2. l. 4. l. 7. Cod. de sent. & iter loc. ibique Sichard in l. 4. n. 5. Struv. Exerc. 9. th. 70.* Ideoque citra vitium nullitatis a iudice præteriri nequeunt nec iis posthabitis sententia ferri potest. Aliud autem est, si iudex probationes quidem admittat, contra illam tamen iudicet quo casu sententiam injustam quidem non autem nullam existimamus, & hoc sensu probationes ad ordinem justitiæ pertinere existimamus prout sentit *Vantius de Null. sent. ex def. proc.*



proc. n. 37. & cum eo Umm. ad process. Disp. 19. n. 35.
 quia probatio citra productionem positionum arti-
 culorum probatoriorum, testium & instrumentorum
 & delationem juramenti litis decisorii fieri nequit,
 idioque hæc omnia in processu summario admitti de-
 bere constat *Zanger. d. C. 2. n. 25.*

TH. XXI.

Multo magis autem defensio legitima rei quæ
 omnino favorabilis & nemini nequidem Diabolo (ut
 Dd. loqui solent) citra Nullitatis vitium denegari
 potest, in processu ut ut summario est admittenda.
 Provenit enim a jure naturuli, qualia nec Imperator
 tollere potest *l. ut vim 3. ff. de just. & jur. Clem. pasto-
 ralis in fin. de sent. & re jud. Brunnemann. process. in-
 quis. C. 8. Memor. 3.* Unde in aprico est exceptiones
 rei omnino esse audiendas ejusque positiones & arti-
 culos defensionales & reprobatorios admitti debere.
 Sed quæri solet Utrum etiam super articulis Inquisi-
 tionalibus eorumque circumstantiis & qualitatibus
 nec non testium personis formare liceat, & an testes
 desuper æque ac super articulis sint examinandi? In-
 trepide hoc affirmamus cum justo *Oldekop. in Tract. suo
 contra Carpzov. decad. 1. qu. 5.* siquidem potissima
 pars defensionis rei in interrogatoriis consistit fatente
Brunnemann in proc. inquisit. c. 8. memb. 2. n. 52. qui
 quidem ex hac ratione quod interrogatoria ad pro-
 cessum ordinarium pertineant, *Carpzov. in process.
 crim. qu. 114. n. 21.* affirmat, sed male siquidem omnia
 ea quæ ad substantiam judicii & causæ cognitionem
 pertinent etiam in summario processu locum sibi
 vindi-



vindicant, *per supra cit. verb. nostræ Clementine.* Sed quid de processu summariisfimi possessorii? Ex eadem ratione etiam interrogatoria in hoc admittimus, utut leviores probationes etiam injurati hic admittantur, maxime quoniam sententia in tali possessorio lata non adeo parvi momenti & præjudicii est, uti quidam existimant, quos allegat & ipsa experientia refutat *Carpzov. proc. jur. tit. 23. art. 1. §. ult.*

TH. XXII.

Citationem vero & præstationem juramenti de Calumnia vel malitia sive de veritate dicenda ne veritas occultetur per commissionem hujusmodi intelligimus non excludi. Quæ hic affert Pontifex non diversum aut contrarium quid continent a proxime præcedenti versu: *Non sic tamen.* Uti quidem innuere videtur, verbum *Vero*: quin potius hæc consecutaria sunt illorum quæ paulo ante dixerat: Scilicet lites quidem, quantum possibile est, non sic tamen abbreviandas esse ut justitia & veritas præcipitetur. Ideoque facile apparet juramentum Calumniæ sive generale, quod super tota causa ab utroque litigantium ab initio litis præstatur. *C. i. C. pen. X. de jur. calumn. Auth. Hoc sacramentum C. jurej. propt. calumn. dand. C. i. de juram. calumn. in 6.* sive speciale quod alias etiam juramentum malitiæ (scilicet non comittendæ) vocatur, & in qualibet parte judicii exigi potest, ab eo contra quem præsumptio malitiæ est. *vid. Struv. Exerc. 16. th. 72. & seqq. Gail. Obs. 83. 84. 85. 86. & 87.* in processu summario exigi posse, & exactum præstari debere, eademque ratione ne veritas occultetur. Et juramentum dandorum

D
quo

L. V. HALLER



quo mediante Reus ad positiones actoris respondet, *Vid. Hiltrop. Proc. p. 3. tit. 7.* Et iuramentum veritatis quae a testibus praestari solet, vel in causis criminalibus & spiritualibus exigitur. *Hiltrop. d. p. 3. tit. 3.* in processu summario locum habet. Unde non videmus qua ratione hoc iuramentum in summarissimo possessorio, si a testibus ex adverso productis exigatur, praetermitti possit, utut communis Dd. opinio & praxis communis in contrarium est. *add. Carpzov. d. tit. 23. art. 1. ubi num. 41.* notat in Curia provinciali Lipsiensi etiam in summarissimo possessorio testes non nisi juratos recipi.

TH. XXIII.

Verum quia juxta petitiones formam pronuntiatio sequi debet pro parte agentis & etiam Rei si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis sive verbo, actis tamen continuo (ut super quibus positiones & articuli formari debeant possit haberi plenior certitudo, & ut fiat definito clarior) inserenda: Multa hic occurrunt notabilia, Primo. Quod in processu summario quamvis libellus solennis non requiratur, petitio tamen ex parte actoris talis sit formanda, ut scire possit iudex qualem sententiam ferre, & in quid Reum condemnare vel absolvere debeat, de quo supra thes. jamtum actum est. Secundo. Conceditur Reo contra quem processus summarius instituitur, mutuum petitionem contra actorem instituere, eumque eodem iudicio convenire, dum tamen hoc fiat in ipso litis exordio, quod explicuit Glossa ibidem, priusquam in causa

con-



conventionis lis contestetur. Quæ explicatio communi Dd. calculo recepta dicitur. *Marant. dist. 6. n. 5. Hostiens. in summ. n. 3. X. de mut. pet.* Sed annon etiam post litem contestatam recte proponitur? *Speculator de reconvent. C. 19. n. 2.* & alii affirmant alii vero negant, nisi in continenti fiat reconventio, secundum quid concedunt, ut reconventus hoc modo foro quidem reconventionis subjiciatur, non tamen ut utraque causa simultaneo processu tractetur & finiat, quæ reconventio impropria à Dd. vocari solet, & probatur *Ord. Cam. d. p. 3. tit. 30. vid. Umm. Disp. 10. th. 6.* Tertio. Licet Reo reconventionem suam etiam sine scriptis nudis verbis proponere, dum tamen continuo actis inseratur, scilicet dictando illam ad protocollum, ut pars adversa & iudex quid proponatur aut negetur, ideoque super quibus probatio instituenda & sententia ferenda sit, perspicue intelligant. Omnium vero maxime notatu dignum, quod Reconventio, etiamsi alioquin causa ejus sit ordinaria, tamen eodem processu summano quo conventio tractatur, hoc in casu sit tractanda, quod sane non exiguum est beneficium Reorum.

TH. XXIV.

Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem usus Longevus in causis admisit, Nos usum hujusmodi observari volentes statuimus, ut iudex sic deputatus a nobis, (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque terminum dare possit & ad exhibendum

D 2

omnia



omnia acta & munimenta, quibus partes uti volunt in causa post dationem articulorum diem certam quandocunque sibi videbitur valeat assignare. Ulterius ex hoc versu notandum, quod etiam in processu summario admittantur positiones & articuli, ratio ejus adjicitur a Pontifice, quia illos propter partium confessiones hos autem propter clariorem probationem usus longævus admisit, sunt autem positiones nihil aliud quam particularis & articulatim facta narratio ad elicendam veritatem, ab adversario concepta. Articuli vero probatorii sunt certa capitula vel articuli super facto ab adversario negati, eo fine producti ut testes insuper audiantur aut instrumenta producantur. *C. i. de test. in 6. C. fraternitatis C. causam. C. per tuas X. eod. Umm. disp. 13. Hiltrop. proc. jur. p. 3. tit. 5.* Et quidem inter se fere conveniunt, ideoque etiam a Dd. confundi solent, cum primis quia utraque ad probationem tendit, & per verbum: Wahr: concipi solent, differunt tantum a positionibus in eo quod iis subordinentur, *vid. Gail. i. Obs. 79. ibique Dd. allegati Umm. d. loc. th. 13.* hoc adendum quod positiones jure Civili incognitæ, tantum a Doctoribus inventæ & deinde jure Canonico & communi praxi receptæ sint. *vid. C. un. X. de lit. cont. & C. dudum X. d. elect. Umm. d. loc. th. i. n. 1.* quod & ipse Pontifex in hac constitutione agnoscit, dum earum originem usui longævo adscribit, si ergo ut ad negotium redeamus, utriusque litigantis intentio ambigua sit ita ut uterque probatione indigeat, statuit Pontifex ut judex cum hac formula: ut procedat sine strepitu, & figura
judi-



judicii: Delegatus utriusque simul terminum assignare possit, quo positiones & articulos suos adversus se invicem exhibeant, simulque eis diem certam post exhibitionem positionum & articulorum assignet, qua omnia acta & munimenta causae, i. e. quibus causa munitur & instituitur. *Gloss. ibidem.* quibus uti volunt, exhibeant & producant, *Zanger. d. c. 2. n. 25. & seqq.* Ubi tamen monendum, quod verba illa *ad dandum simul utrosque* non ita intelligenda sint, ac si iudex uni eidemque parti injungere possit ut simul positiones & articulos exhibeat, uti vult *Gloss. in verb. utrosque.* quoniam tanquam subordinata simul subsistere nequeunt, sed collective sunt accipienda, ita ut utriusque parti vel positiones vel articulos, prout sibi expedire videbitur exhibere liceat. Porro notandum quod in processu summano unus & idem terminus actori & Reo ad probandum dari possit, cum in ordinario processu reus exceptiones aut defensiones suas non teneatur probare priusquam actor suam intentionem probaverit. *l. 4. c. de Edendo ibique Dd. Gloss. hic in verbo partes:* Caeterum quod post exhibitionem positionum diem certum ad Exhibenda omnia acta & munimenta assignare valeat iudex, etiam in processu ordinario obtinet. Quid vero his verbis, *Eo salvo, quod ubi remissionem fieri contingeret, protestibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante* velit Pontifex, fere obscurum est, *Glossa & Zarabella*, verba illa interpretantur, quod non obstante assignatione alicujus termini ad exhibendum omnia acta & munimenta

menta



menta causæ a iudice Præfixi, etiam post lapsum termini adhuc instrumenta produci possunt eo casu quo remissio est facta pro testibus producendis, i. e. quo pendet adhuc terminus examini testium præfixus, Quod certe singulare quid est in processu summario, siquidem alias terminus ad producendum omnia a iudice præfixus est exclusivus probationum, nec amplius quis producere volens instrumenta auditur. l. §. edenda ibique Dd. de edend. Hiltrop. proc. p. 3. tit. 10. n. 5.

TH. XXV.

Interrogabit etiam partes sive ad earum instantiam sive ex officio ubicunque hoc equitas suadebit. Quid hoc annon idem licet iudici in processu ordinario? hic videtur. c. judicantem C. 30. qu. 5. C. cum Johannes X. de fide Instrum. C. 2. de juram. Cal. in 6. Sed sciendum est quod quidem in processu ordinario etiam liceat iudici interrogare partes, quamdiu in causa conclusum non est, postea vero non, in processu autem summario hoc licet, *ubicunque hoc equitas suadet* ideoque etiam post conclusionem in causa usque ad sententiam. *Gloss. ibid. in verb. interrogabit.* Ulterius quæri solet. Utrum in processu summario publicatio attestationum eorumque deductio & disceptatio omitti possit & debeat? Dicimus quod sic; quoniam ejusmodi actibus nihil aliud efficitur quam ut causa eo magis proteletur. Quid ergo? Iudex examinatis testibus & aliis causæ argumentis & meritis statim potest procedere ad sententiam *arg. Clem. Sæpe contingit verb. litem quantum poterit faciat brevior* Zang. de except. Sæpe cit. p. 1. C. 2. n. 27. & seqq.

TH.

TH. XXVI.

Denique illas solennitates quas circa sententiam definitivam processus ordinarius requirit, e. g. ut antequam sententia proferatur prius expresse & formaliter in causa a partibus concludatur & submittatur. C. 9. X. de fid. instrum. C. 5. X. de caus. poss. & propr. Gail. I. Observ. 107. n. 2. ut partes citentur ad audiendam sententiam & quidem peremptoriam l. 74. ff. d. R. I. l. 12. C. de sent. & interloc. & quidem a iudice pro tribunali sedente. Novell. 82. C. 3. Marant. in spec. Adv. h. t. de sentent. n. 48. Umm. Disputat. 19. n. 41. & vulgo Dd. omnes in processu summario cessant, ita enim Pontifex noster ulterius pergit: Sententiam vero definitivam, citatis ad id licet non peremptorie partibus, in scriptis, & prout magis sibi placuerit stans vel sedens proferat, etiam si ei videbitur conclusione non facta prout ex probatione & petitione & aliis actibus in causa fuerit faciendum. Recte omnino. Quamvis enim contra absentem & ignorantem sententiam proferre rationi conveniens non est, ideoque citatio ad audiendam sententiam sine dubio ad substantiam iudicii pertinet in processu tamen summario qualiscunque notificatio & citatio sufficit, eaque pro peremptoria merito habenda est, etsi id in citatione expressum non sit. Gloss. hic. Nihil etiam interest utrum a iudice stante vel sedente aut quo idiomate proferatur sententia modo a iudice & partibus intelligatur. Nec refert utrum ante formaliter in causa a partibus conclusum & submissum sit nec ne. Quamvis enim expressa & formalis conclusio & submissio



missio in causa (qua partes ulterioribus allegationibus expresse renunciant, cujus formulam vid. apud *Rosbach. tit. 70. num. 17.*) de jure communi necessaria fit, & in Camera ad substantiam processus requiratur. *Gail. d. Observ. 107. num. 2. Mynsing. cent. 3. Obs. 17.* ad substantiam tamen processus in genere non requiritur, ideoque in processu summario recte omitti potest, *Brunnemann. in process. C. 26. num. 3.* ut vero in scriptis proferatur sententia rationem naturalem habet, scilicet ut de ea certo constet nec tenor ejus post pronuntiationem interverti possit, quod facile alias contingeret in sententia verbis prolata, juxta vulgatum illud *vox audita perit litera scripta manet*; Similiter etiam reliqua quæ ad essentiam sententiæ pertinent, nimirum ut sit pura, certa, juri & maxime autem libello congrua, continens absolutionem vel condemnationem, de quibus *vid. Umm. disp. 19. th. 10. ibique allegati Dd.* in hoc processu summario obtinent.

TH. XXVII.

Sed quæritur an judex in causa summaria teneatur etiam causas seu rationes decidendi sententiæ inferere, aut saltem in separata scedula partibus petentibus communicare? Quidni? Siquidem si justa & sufficiens ratio decidendi existit, expressione ejus potius lites amputantur quam protelantur, & Advocatus nisi ab honestate plane alienus sit, ad veram & solidam rationem decendi facilius acquiescet, quam si rationem decidendi ignoret & in tenebris palpet. Verum quod hoc modo errores judicum facile



facile detegantur, & si pars una aut altera per sententiam sit gravata, eo facilius & solidius gravamina sua ostendere ideoque cum majori fiducia appellare possit, qua ratione Dd. communiter editionem rationum decidendi partibus denegandam esse sentiunt, adeo quidem ut nonnulli falsum esse iudicem pronuntiant qui animi sui rationes in sententia exprimit. *Imola in l. si autem ad quem ff. d. acq. hered. Angel. in l. qui Romæ 122. §. duo ff. de V. O. Speculator tit. de sentent. §. qualiter n. 13. Carpz. proc. jur. tit. 16. art. 1 n. 84. & seqq. Zabarella in Clem. Saepè vers. & quia. n. 18.* Sed tantum abest ut hoc obtentu occultandæ sint rationes decidendi quia potius ex eadem ratione sunt edendæ, ut scilicet iudices tanto majorem diligentiam in legendis actis & perpendendis causarum momentis impendant, & ab erroribus ejusmodi quibus partes gravantur sibi caveant & prospiciant. *Brunnemann. poc. C. 27. n. 20. 21. & 22. Hermann. Rennem. Jurispr. Rom. Germ. Memb. 4. Disp. 45. Coroll. 1.*

TH. XXVIII.

Que omnia etiam in illis casibus in quibus per aliam constitutionem nostram vel aleas procedi potest simpliciter nec de plane ac sine strepitu & figura iudicii volumus observari. Quoniam Pontifex hanc suam constitutionem tantum ad causas delegatas direxerat ideoque merito dubitatio incidere poterat, utrum etiam ejusmodi summarius & extraordinarius procedendi modus in aliis non delegatis causis

E in

[ZVHALLE]



in quibus tamen per suam ipsius aut alias Pontificum constitutiones simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii iudicibus injunctum erat, obtinere debeat? Pontifex & hanc hic tollit dubitationem, declarando quod eundem modum observari velit in similibus causis, unde putet quod in causis beneficiarum, decimarum, matrimonialibus & usurarum per ipsius Clementis Constitutionem *in C. dispendiosam de iudic.* in inquisitione hæreticæ pravitatis ex-constitutione Bonifacii Octavi in *C. per hoc 17. de hæret. in 6.* in causa electionis, abbatia, & prioria, ex-constitutione Bonifacii in *C. indemnitatibus 43. vers. si verode elect. & elect. pot.* & aliis causis summaris omnibus quæ supra *th. 8.* sunt recensitæ, hic modus procedendi obtinere debeat, imo omnes causæ ordinariae quas princeps summarie tractari vult, hoc modo tractandæ sint, nec opus adhuc est ut in rescripto principis semper hæc verba simpliciter & *de plano ac sine strepitu & figura iudicii*: Coniungantur, sed sufficit si uno aut altero verbo mentem suam exponat, quod velit causam sine ordinario & solenni modo ohne einen ordentlichen und weitläufigen process. tractari *Gloss. in d. Clem. Sæpe verb. & figura.*

TH. XXIX.

Sed quid si iudex causam summariam non contradicentibus partibus solenni & ordinario processu tractaverit, an processus iste erit nullus? Dubitandi rationem præbet, quod ea quæ contra formam a lege

lege præscriptam fiunt, sint ipso jure irrita & nulla. *l. non dubium 5. C. d. LL.* verum contrarium decidit Clemens V. in his verbis. *Si tamen in præmissis casibus solennis ordo judiciarius in toto vel in parte non contradicentibus partibus observetur non erit processus propter hoc irritus nec etiam irritandus.* Recte omnino quia processus summarius in favorem partium litigantium & præsertim actoris (ut tanto citius quod jure petit obtineat) concedi solet, cui juri suo non contradicendo adeoque approbando renunciare licet. *l. pen. C. de palt.* Si tamen una pars ejusmodi processui solenni contradicit iudex ordinario modo procedere nequit, sed ab eo tanquam gravante appellari poterit. Quid vero si partes non contradicendo unum aut alterum actum ordinario modo tractari siverint an sibi in hoc præjudicant in subsequen-
tibus? Non putamus. Quia renuntiationes stricti juris sunt nec ad alia extrahendæ *Mev. p. 2. dec. 64. num. 3. p. 6. d. 378. n. 3.* alia autem est ratio si partes id indefinite & expresse consenserint ut iudex servaret solennia ordinarii processus, tunc enim una pars invita altera consilium suum mutare & pœnitere nequit *C. nemo potest C. quod semel d. Reg. Jur. in 6. l. 5. C. de Obl. & act.* si autem utraque pars pœniteat iudex quippe cuius nihil interest quomodo procedatur relicto ordinario processu in reliquis summarie procedere tenetur.

TH. XXX.

Sed quæritur nuncquid causam viceversa sua natura ordinariam liceat partibus & iudici citra vitium

E 2

tium

[ZVHALLE]



tium nullitatis summarie tractare? Videtur quod non, quia juri publico pactis privatorum derogari nequit, *l. 38. ff. de pact.* unde etiam *Gloss. hic & Dd.* communiter id negent, Verum in Camera Imperiali ejusmodi nullitates quæ tantum modum procedendi concernunt & meritis causæ non præjudicant non attenduntur, *Ord. Cam. p. 3. tit. 34. Gail. Observ. 42. num. 1. & Observ. 75. n. 5. & 6.* quam praxin inferiora judicia merito sequuntur, quippe lites quanto ocius finiri publice interest, *l. quidam existimaverunt. ff. si cert. pet. C. finem X. de dolo & contum.* Atque hæc in præsentia ad famosam hanc Constitutionem Clementinam *Sepe* pro ingenii modulo & temporis & scopi nostri ratione differuisse sufficiant, Plura qui desiderat ipsos *Dd.* in hac disp. passim allegatos adeat. Interim DEO. T. O. Maximo & Triuno devotas agimus gratias proviribus & facultate ad negotium hoc expediendum benigne concessis, ipsi sit laus & gloria in sempiterna Sæcula.



Corollaria.

I.
Nullus alius, quam Summarius ille processus in Clementina *Sepe* descriptus, Christianos decet.

II. Qui-

II.
 Quilibet Princeps aut Statu Imperii in suo territorio abolito ordinario processu summarium in omnibus causis introducere potest, idque, ut fiat, publicè expedit.

III.
 Impunitas mentiendi in judiciis & nimis facilis compensatio expensarum magnum sunt processus tormentum.

IV.
 Non quælibet probabilis litigandi causa à refusione expensarum liberat victum, sed illa tantum, quæ causam prorsus dubiam reddit.

V.
 Improbum litigatorem (qualis est, qui nullam litigandi causam habet) non tantum in expensas litis, sed etiam ad reparationem damni, quod occasione litis victori contigit, imò etiam in peculiarem poenam condemnari juri communi & rationi naturali convenit.

VI.
 Quemadmodum vir honestus ab alio vitiatam ducere aut in matrimonio retinere non tenetur, ita nec virgo aut vidua honesta ad nubendum



nubendum sponso, qui stupris & fornicationibus se polluit, jure cogi potest.

Usucapio pro herede verus & ad usucapiendum habilis est titulus, modo ex adverso ostendi non possit, defunctum mala fide possedisse.

Matrimonium nec in secundo aut tertio gradu lineæ collateralis, nec jure divino expresso nec jure naturæ prohibitum est.


Cum judæi nullum & abominabilem judicent actum, quo judæus Christiano quid in testamento relinquit, merito eodem jure adversus eosdem utuntur Christiani.

Citra manifestum dispendium subditorum Judæis indulgeri nequit, ut eis ultra legitimas usuras à Christianis quicquam exigere liceat.

Dubitatio usucapionem & præscriptionem impedit.

Sententia, ne quidem interlocutoria, à judice revocari potest.

XIII.



Ob furtum prima vice commissum, ut ut ma-
gnum & cum effractione patratum, pœna
suspendii aut aliud mortis supplicium di-
ctari nequit.

XIV.

Alienatione rei locatæ citra tempora locatio-
nis locatio non finitur.

XV.

Emptor de pretio interpellatus non solvens,
non ad uturas legitimas, sed potius ad id
quod interest Venditori tenetur.

Astra petit nervo per nubem impulsa sagitta.

Quid mirum si Tu tendis ad astra poli.

Namque Sagittiadæ nequeunt latitare sub imo.

Euge Nepos! coeptis adsit Jova Tuis.

*Ita Natu maximo neporum suorum
paternum affectum ostendere,
& ad ulteriores felicissimos
successus cuncta prospera ad-
precari voluit*

Doctorandi Avus

GERHARD BODE, Theol. D.

ejusdem Prof. Prim. & Superint.

Christiades quoniam pax & concordia summa
Atque huc quæ spectant optima facta decent.

Sanè de rebus levibus certamina lites

Exercere piis facta decora minus.

Ergo

EVHALLI





Ergò iudicio facilè contendere noli
 Furgia sed potius tu leviora fuge!
 Aut, si te tandem non parvi causa momenti
 Duritiesque, Rei cogat adire forum.
 Sic age, ne pietas unquam ledatur & inter
 Lites inveniat pax moderata locum.
 Debita quæ debes sponte & sine iudice solve
 Hic mora commissa est impietatis opus.
 Infontem verò si quisquam te vocet in jus,
 Atque à te nullo debita jure petat
 Tu citra ambages placidè tua jure tuere
 Sic licet illasà mente litare foro.

Hisce Clarissimo & Doctissimo Domino
 Doctorando amico suo honoratissi-
 mo applaudere voluit

P R Æ S E S.


DUm tractas, PFEILI, processûs firma statuta,
 Contingis celsi culmina celsa jugi.
 Præmia jam venient meritâ dignissima palmâ,
 Assiduusque labor, præmia magna dabit.
 Ernestina suo plausu testatur amorem,
 Te summo gaudens amplificare gradu.
 Doctoris titulum tribuit tibi flavus Apollo,
 Tollere quod nomen nec Libitina potest.

Ita Nobilissimo nec non Doctissimo Domino
 Doctorando amico & conterraneo suo
 honoratissimo gratulari voluit & debuit

GUST. JACOB. BUDDE, LL. Stud.
 Petrihagâ-Mindensis.

Errata Typographica, pro Obrecht leg. Obrecht, pro Mauranta Ma-
 ranta, pro Zarabella Zabarella, cætera ex nimia festinatione forte
 commissa sua prudentia benevolus lector ipse corrigere rogatus sit.






X2615945

K17







B.I.G.

Farbkarte #13

Figuralis Juridica

AD
ÆPE CONTINGIT.

SIGNIFICATIONE
ATIONEM

CESSUS

MARII

IBENS,

UAM
FICÆ FACULTATIS JURI-
ACADEMIA ERNESTINA

ESIDE
NNO ZOLLIO,

Primario Celeberrimo,

Pro
oque JURE SUMMIS HONO-
PRIVILEGIIS

RALIBUS

n disquisitioni submittit
FRIDERICUS Pfeil/
ga-Mindensis.

Ad Diem 6. Martii 1696.

HELI,
NAX, Academ. Typogr. MDCXCVI.

3
M
1696, 2.

5

5.